



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,
doctrina excutitur, scripta recensentur

Origenes

Rothomagi, 1668

II. Ex dogmate [...], & perpetui libertatis usus maxima Origenianorum
errorum pars profluxit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-25059

gulum personis que dici possunt disputationis causa de singulis dogmatibus in medium protulimus. Qui autem legit, eligat ex his que magis amplectenda sit ratio. Denuntiat praterea non semel, *ἡγορητικῶς* sese disserere, non *ἐπισημαντικῶς* loqui, siquando visus est aliquid de ea re statuere, ut pote incerta, nondum Ecclesiæ decretis Origeniano auro, nec multo recentioribus definita; quemadmodum declarabitur inferius. Id confirmat Pamphilus in Apologia; quamvis disputationes Origenis vel assertiones, quas de animæ statu & dispensatione proposuit, nonnullos culpasse fateatur.

II. Imprimis autem, maxima illud animadversione dignum est, ex superius memorato gemino hoc Dogmate, Mentium *ἡσυχαστικῶς*, & pleni ac perpetui libertatis usus, semper vigentis ac florentis maximam Origenianorum errorum partem prodiisse; nam profuxit inde quidquid fere circa Angelorum naturam peccatum ab eo est: inde *μετασχηματιστικῶς*, alia aliaque corpora subeuntibus animis, pro vario libertatis usu: inde solam animam censuit constituere hominem, assumto nimirum in penam corpore, tamquam vinculo & compede: unde & tollenda fuit resurrectio, nam quid corpore hoc & vinculis opus homini in integrum restituto? Gratia quoque beneficium peremit nimia illa & immodica libertas. Vnde vero affectas dicemus Astris animas, & liberum arbitrium, quam ex hoc Mentium ascensu & descensu, crassiora, vel subtiliora ac splendidiora subeuntium corpora pro meritis? unde vana hæc & pestifera opinio, Christum vel passum vel passurum pro syderibus, pro Angelis & Dæmonibus, quam ex altera ista, peccato naturas illas esse obnoxias, non secus ac humanas, proindeque eadem reparatione ac remedio indigere? Sed & præfinitus Damnatorum supplicii modus ac tempus ex quo fonte manavit, quam ex perseverante etiam post inflictas poenas libertatis usu? Denique positus his Mentium revolutionibus, ac nunquam desituro circuitu, renasci quoque Mundos identidem oportuit, cum Mentibus denuo peccantibus nova iterum paranda essent vincula, nova scilicet imponenda corpora, ex quorum diversitate mundus efflorescit. Quæ si quis observabit diligenter, non repugnantibus & dissipatis dogmatibus consistere doctrinam Origenis fatebitur, sed apte connexam esse, & necessaria argumentorum serie ac textura coherentem.

III. Primam in hac quaestione adversus Origenem intentat criminationem Hieronymus Epist. 59. ad Avit. cap. 4. cum arbitratum ipsum fuisse ait animas omnes, & quæcunque ratione prædita sunt à Dei substantia expressa prodiisse, divinæque ipsius partem esse substantiam. Ne parvam putaremus, inquit, impietatem esse eorum que præmiserat (Origenes) in ejusdem Voluminis (*Ἐπισημαντικῶς*) sine conjungit omnes rationabiles naturas, idest Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, Angelos, Potestates, Dominationes, cæterasque Virtutes, ipsum quoque hominem secundum animæ dignitatem unius esse substantiam. Intellectualem, inquit, rationabilemque naturam sentit Deum, & Unigenitum Filium ejus, & Spiritum sanctum, sentiunt Angeli, & Potestates, cæteræque Virtutes; sentit interior homo, qui ad imaginem & similitudinem Dei conditus est. Ex quo concluditur Deum, & hæc quodammodo unius esse substantiam. Quod in Origene damnaverat Hieronymus, idem in Palæstina Origenistis damnat Iustinianus in Epistola ad Quintam Synodum, quam habet Cedrenus: *ἀλλὰ καὶ τὸν ὅτι νόος ἦσεν διὰ πάντας ἀεὶ ἀδύνατον τῶν ὀντομάτων, ὡς ἐν ἀδύνατον τῶν λογικῶν τῆ ἑαυτοῦ καὶ ἰσότητος καὶ ἐπερζίας, καὶ τῆ ὁμοιότητος τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ λόγου, ἐκείνου καὶ τῶν ἄλλων.* Dicunt enim Mentes fuisse absque numero & nomine, adeo ut rerum omnium rationalium unitas sit, cum idem sint substantia, & operatione, & virtute que est apud Deum Verbum, tum adnatione, & cognitione. Gobarus quoque Tricheita ille, cuius excerpta collegit Photius Cod. 232, dogmata multa, quæ fere Origeniana sunt, in utramque disputans partem, octavo loco illud habet: *ὡς ἐκ τῆς ἰσότητος καὶ ἰσότητος τῆς ἀποστολικῆς ἐπιστολῆς πρὸς τὸν Ῥωμαῖον.* Ex divina substantia humanam animam processisse.

Fuit illa quidem Pythagoreorum doctrina, divinæ autem particula animas nostras constare, & Deum

Virg.
Georg. 4:

ire per omnes

Terræque, tractusque maris, cælumque profundam:
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenuis nascentem accessere vitas.

Audiebam, ait Cato apud Tullium, Pythagoram, Pythagoreosque, incolas pene nostros, qui essent Italici Philosophi quondam nominati, numquam dubitasse quin ex universa mente divina delibatos animos haberemus. In eadem fuerunt opinione Platonici, & Stoici, quam & Cerdo, & Marcio, & Manichæi subinde amplexi sunt. Hieronymus Epist. 61. ad Pammach. cap. 5. sic Iohannem Hierosolymitanum interpellat: *Dicis animas hominum non partem esse Dei naturæ: quasi Manichæus nunc ab Epiphano sis vocatus: & cap. 6. Dicis animam non esse de Dei substantia; pulchre, damnas enim impiissimum Manichæum, quem nominare pollutio est: & mox: Nemo dubitas errare qui dicit eam (animam rationalem) esse Dei substantiam.*